



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

L. Vtrùm teneatur interpres, tàm arcto vinculo ad Sigillu[m] Confessionis,
quàm Sacerdos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput III. De Qualitate

la peccata pœnitens admiserit; verùm etiam an firmum conceperit propositum cauendi in futurum peccatum. Per nuntium autem de horum neutro ipsi certius quicquam cõstare potest, cùm nuntius mentiri possit, & pœnitens mutauerit sententiam, nec serium habeat propositum, abstinenti à peccatis.

Quaestio
II. *Potestne quis per Interpretem Sacerdoti praesenti confiteri?*

Responsio. **E**T si propter periculum famæ & scandalum nemo obligatur ad confitendum per interpretem; certum tamen est licere cuique linguae ignaro confiteri peccata in praesentia Sacerdotis per interpretem, quæ utique Confessio valida erit, & conferri poterit Absolutio: Est enim diuersa ratio, quam de internuntio. Quia quando internuntius refert peccata Sacerdoti, pœnitens non est praesens; per interpretem autem signo & nutu ostendit pœnitens, se eius reum esse, quod interpres dicit; & sic est verum Sacramentum. Et interpres omninò tenetur occultare peccata, quæ audiuit.

Quaestio
L. *Teneturne interpres tam arcto vinculo ad sigillum Confessionis, quam Sacerdos?*

Responsio. **R**espondent aliqui Theologi, quòd non: Nam interpres, inquit, non fungitur munere

munere audientis, vt Sacerdos, sed loquentis. Quare cum interpres non stet à partibus Sacerdotis sed pœnitentis; ad sigillum seruandum nō magis quàm ipse pœnitens obstringitur, qui sua peccata celare sub sigillo non obligatur. Adiecerim præterea aliam rationem; quòd cum Confessio per interpretem non sit necessaria, nihil mirum, si DEVS tanto rigore non compulerit interpretem, quanto Sacerdotem.

Fatendum tamen, quòd si interpres Confessionē patefaceret, acriter esset puniendus, licet non illo rigore iuris, quo Sacerdos.

Potestne quis scripto confiteri?

Absens absenti per literas non potest confiteri, neque si confiteatur, potest absolui à peccatis. Ratio huius est, quòd Confessio est actus personalis, quo homo præsentì Sacerdoti loquitur. Quapropter licet ab excommunicatione, & ab aliis cœsuris possit homo per literas absolutionē à Romano Pontifice petere, & obtinere; tamen Absolutionē sacramentalem peccatorum non nisi præsens per Confessionem.

Accedit & alia ratio, quòd Cōfessio debet esse talis, per quam Sacerdos certus fiat, talia peccata pœnitentē fecisse, quin etiā per quam possit eū conuincere. Confessio autē per epistolā non est huiusmodi; Nam Sacerdos non est certus, an literæ illæ sint veræ an fictæ; imò posset postea pœnitens negare suas esse.

Adde,

Questio

LI.

Respōsio.

Absolutio à censuris per literas obtinetur.